

Electoris, Archiducis Austrie, Ducis Burgundie, Brabantie, Stirie, Carinthie, Carniole, Slesie, Wirtenbergie etc., Marchionis Moraue, Burgouie etc., Comitum Tyrolis, Celeje, Goritie etc., Domini Marchie Slauonice, Portus Naonis et Salinarum, Sacri Romani Imperii Locumtenentis generalis etc., Principis et Domini nostri gratiosissimi, Consilarii et Oratores, Paulus de Oberstain, Dei gratia Prepositus Viennensis, Artium Philosophie et Utriusque Juris Doctor etc., Nicolaus Juritschicz supremus Capitaneus, Joannes Caczianer, et Joannes Puchler, prefectus in Meichou, Capitanei, recognoscimus et notum facimus vniuersis. Quum nos uigore mandati eiusdem Serenissimi D. Regis nostri, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis: „Ferdinandus, Dei gratia Bohemie Rex etc., Infans Hispaniarum, Archidux Austrie, Dux Burgundie, Slesie et Wirtembergie, Marchio Moraue etc., Imperialis Locumtenens generalis etc., Recognoscimus et notum facimus tenore presentium vniuersis. Quod cum Reuerendis, Spectabilibus, Magnificis, Nobilibus, Egregiis, sincere nobis dilectis Episcopis, Prelatis, Comitibus, Nobilibus ac vniuersis Ordinibus et Statibus Regni Croacie, Jus nostrum, quod nobis et Serenissime Consorti nostre dilectissime uersus Regnum Hungarie competit, exposuissemus, requirendo eosdem, quatenus nos illius vigore aliorumque complurium respectuum intuitu in Dominum et Regem suum acceptarent et ut talem recognoscerent. Ipsi uero Status et Proceres Nuncios et Oratores suos ad nos propterea destinarint, qui tamen plenam super singulis per eos petitis resolutionem reportare nequierint, eo quod fines Mandati eis a Principalibus suis traditi longius excedere non licuerit. Nos itaque hiis potissimum attentis opere precium duxerimus nostros Nuntios et Oratores ad eosdem destinare, qui super petitis eorundem finaliter concludant, unde certam gerentes fiduciam de integritate, rerumque agendarum industria, honorabilis docti et fidelium nobis dilectorum Pauli de Oberstain, Prepositi Cathedralis Ecclesie ciuitatis nostre Viennensis, Doctoris et Consilarii, Nicolai Juritschicz et Joannis Caczianer Capitaneorum, nec non Joannis Puchler, Prefecti nostri in Meichou, Nunciorum et Oratorum nostrorum, ipsos omnes ad maiorem ex eis partem ex certa scientia, omnibusque melioribus modo uia iure causa et forma, quibus melius et efficacius de iure possumus et ualemus, nostros ueros legitimos et indubitatos Procuratores, Actores, Factores et infrascripti negotii gestores fecimus, constituimus nominauimus et deputauimus speciales et generales, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, sicut eosdem uel maiorem ex eis partem tenore presentium facimus constituimus et ordinamus, dantes et concedentes eisdem facultatem potestatem et auctoritatem cum prefatis Statibus, Episcopis, Prelatis, Comitibus, Nobilibus et Consortibus eorum coniunctim uel in solidum, nostro nomine loco et uice, super omnibus et singulis, que eis per instructionem nostram apud eos seriatim agenda iniunximus, agendi tractandi et proloquendi, et postquam uigore instructionis nostre cum eis inter alia egerint, atque in hoc induxerint, quod nobis tanquam legitimo et naturali eorum Domino debitum fidelitatis et homagii Juramentum prestare uelint, tale Juramentum fidelitatis et homagii pro nobis et loco nostri recipiendi, eosdemque assecurandi, quod omnia et singula eorum Priuilegia Jura Libertates et Decreta, Regno illi eiusque incolis et inhabitatoribus a Serenissimis retro Regibus eorum tradita et concessa, salua et illesa conseruare et manutenere uolumus et intendimus, eisdemque iuxta rei exigentiam et qualitatem